



Iodocus Rubeaci in Alsatia natus & educatus est. hic cum felici ingenio esset præditus, parentū consilio operam literis dedit, & artium fundamen-
ta feliciter iecit. postea se hinc inde ad uarias Aca-
demias, Heydelbergensem præsertim, contulit, &
magna diligētia S. Theologiæ incubuit. In eo quo-
que studio adeò profecit, ut S. literarum Doctor o-
mnium honorum desiderio crearetur. Erat Iodo-
cus uitæ integritate & rara eloquentia conspicuus.
Itaq; ad Spirēsem Ecclesiam uocatus concionibus
præficitur. Eam uocationem is singulari modestia
suscepit, & piè administrauit. Scripsit etiam de co-
gnitione sui ipsius lib. 2. de tentatione carnis, mun-
di, & sathanæ lib. 3. sermones de tempore & sanctis, sermones quadragesima-
les, atq; uarias orationes Heydelbergæ habitas. de arte quoq; memoratiua li-
brum composuit, atq; uaria Epigrammata cōfecit. Cum hoc modo Iodocus
ob multas animi dotes in magna apud doctos autoritate esset, tandem anno 1516
Spiræ multorū luctu obiit, & honorifice sepultus fuit. Con. Lycost. in bibliot.